

56. 609

PIAE MEMORIAE FAMAQUE
NUNQUAM INTERMORITURAE
MONUMENTUM
PERILLUSTRI, MAGNIFICO
CONSULTISSIMO
VIRO
ALBERTO SCHULTE

IN UTROQUE JURE LICENTIATO
REIPUBLICAE HAMBURGENSIS
CONSULI SENIORI
VIRTUTIBUS MERITISQUE MAXIMIS INSIGNI
DIE III. JANUARI A. P. C. N. c10cCCLXXXVI. PIE DENATO
EX DECRETO

AMPLISSIMI SENATUS
MOESTA MENTE CONSECRATUM POSUIT
COMMUNIS BONORUM OMNIUM LUCTUS INTERPRES
JOANNES MAURITIUS HENRICUS GERICKE, J.U.L.
PROFESSOR MORALIUM PUBLICUS
EO ANNO GYMNASII RECTOR.




HAMBURGI
LITTERIS CAROLI WILHELMI MEYN, AMPLISSIMI SENATUS, GYMNASII
ET SCHOLAE TYPOGRAPHI

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]


CICERO pro P. Sextio.

Omnes boni semper nobilitati favemus, & quia utile est Republicæ nobiles homines esse dignos majoribus suis, & quia valet apud nos clariorum hominum & bene de Republica meritorum memoria, etiam mortuorum.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



[Faint, mostly illegible text at the bottom of the page, likely bleed-through.]



Quemadmodum reipublicae permultum interest, ut eos, quos
 proceres & administratores suos salutat, multis magnisque
 decoratos meritis sciat; ita vero rempublicam quoque de-
 cet, CIVES, ut grata mente nomina illorum prosequatur,
 hisque demortuis, virtutum meritorumque eorum memoriam non solum
 pie sancteque colat, sed & optimo, quo potest, modo ad posteritatem
 transmittat. Cujus officii haud immemores fuere majores nostri, atque
 ejusmodi, meritis quippe de patria illustribus, viris, quum aliis, donec vive-
 rent, dignitate munerisque gravitate praecederent, et post ultima fata praeci-
 puum quid tribuendum esse censuerunt, quo ex aliis emicarent. Quo
 igitur eorum memoria omni sollertia servaretur, quo virtutum meritorum-
 que eorum notitia ad posteros perveniret remotissimos, ut publica aucto-
 ritate monumentum ipsis conderetur, decreverunt, id officium Rectori
 Gymnasii imponentes, inquit scripto panegyrico memoriam illorum
 celebraret.

Quare huius tenoris decretum et ad me venit, ad me, qui sesquimestri
 annui muneris feliciter jam exhausto, praeioremi mihi fortunam comitem
 somniavi fore, ut isthoc temporis spatium, quo Rectoris munereungebar,
 nullo inter principes Reipublicae insigniretur luctu. Sed subito spe mea
 dejectus sum. Evenit enim, proh dolor! obitus HEROIS TOGATI, Cui
 Nestoris adprecanda erat aetas.

IV

Tristis itaque nuncius ego jacturæ, quam Respublica ex obitu VIRI, dum degeret, ILLUSTRISSIMI, MAGNIFICI, ET CONSULTISSIMI ALBERTI SCHULTE, IN UTROQUE JURE LICENTIATI ET CONSULIS MERENTISSIMI SENIORIS perpeffa est; tristis ego publici luctus interpretis.

At in eo constitutus, ut hujus VIRI memoriam posteris commendarem, vix ac ne vix quidem me tanti operis, TANTO VIRO digni, compotem scio, neque enim virium mearum imbecillitas me latet, neque ingenii exiguitas. Attamen acerbum renovare dolorem, & honorificæ VIRI mentioni infervire jubeor. Quid ergo mihi relinquitur, quam Vestram, CIVES, benevolentiam implorem, ut quæ monumento huic arte, concinnitate, & sapore defunt, ex Vestro ingenio suppleatis, simulque ejus tenuitatem, non ex eo dijudicetis, ac si materia destituar, abundat enim, sed quod limitibus, pro tanta dicendi copia, nimis arctioribus circumseptus sim. Materiam enim perlustrans, tantam ejus adfluentiam reperio, ut quo ordiar, quo finiam, vix norim. Quo, ut ipsa scripturæ generis novitate commotus, ne VIRI CLARISSIMI memoriam ea, qua decet, elegantia non commendem, vereor. Sed jacta esto alea: Vestra enim, CIVES, quam peto, indulgentia fretus, ipsum nunc adgredior opus. Ne vero propter ubertatem memorandorum, multus evadam, præcipua tantum capita proferam, ex quibus, magnum sane fuisse, quemdolemus VIRUM, affatim elucebit.

Magnus autem is adpellari vir videtur, quem antiqua & nobili pro-
sapia exortum; dein quem vita, moribus, meritis, conspicuum, majoribus
suis dignum se præbuisse; quem tandem sic, ut virum decet fortissimum, e
vita migrasse, cognovimus. Atque ad hæc momenta totam bene com-
poni materiam, in iis quoque præcipua comprehendere posse, censeo.

Quum igitur primum de gente defuncti Consulis nostri, de que illius
antiquitate & dignitate agendum est, non me quidem fugit antiquitatem
gentis ejusque splendorem per se nec virtutes, nec merita, nec gloriam ipsi
conferre; qui ex eadem profectus est; tamen nec ignoro, pro sapia antiqua &
dignitate majorum viri gloriam quam maxime augeri, si probetur, eum
neque moribus, neque meritis, nec honoribus ulli majorum secundum fuisse,
horumque gentisque famam honestis splendidisque factis extendisse. Quod
quum de DEFUNCTO nostro jure potest affirmari, ut infra patebit, de ma-
joribus IPSIUS, quæ memoratu digna habeo, proferam.

Gente qua ILLE descendit, inter principes Reipublicæ Hamburgensis
locum jure obtinet, siquidem de antiquitate, dignitate, ifamaque cum nobi-
lioribus certat. Patet enim, ut ex ipsius gentis, aliisque fide dignis docu-
mentis evincitur, gentem SCHULTIANAM supra CCL. annos Hamburgi
jam floruisse. Simulque constat, eam non floruisse solum, sed viros quo-
que edidisse clarissimos, nec hos modo, sed & meritissimos heroes togatos-
sagatos-

fragatosque, illos Reipublicæ præferim, hos extraneis adtulisse. Ne igitur ultra fines hujus gentis certos percontando, incerta referam, siquidem de prima ejus stirpe vestigia, a nostra memoria ob antiquitatem valde remota, sub arcanis veteris ævi dellescunt, ab illo demum generis satore, ex quo illud Hamburgensibus adnumeratur, & quæ DEFUNCTO CONSULI nostro tritavus fuit, historiam gentis exponam.

Est autem dignissima gentis *Schultze* princeps ANDREAS SCHULTE, quem ex Electoratu Brandenburgensi ad nostros adventisse regiones tradunt, & qui a. p. C. n. 1536 in civitatem Hamburgensem receptus est. Genuit is autem ex *Cecilia Joannis Hügen* Senatoris Hamburgensis & *Anne*, natæ de *Steden*, filios V, quorum primogenitus familiam solus propagavit.

Natus est is, JOANNES, a. 1537, dein J. U. L. & Duci serenissimo Megapolitano a Consiliis, tandem a. 1570 d. 28 Maji Senatoriam dignitatem Hamburgi obtinuit, qua coruscans, ab a. 1590 ad 1597 usque munere Præfecti castellorum Bergedorf & Rypenborg fide omni functus, eodem anno d. 8 Mart. obiit. Nupta ei fuit *Anna, Alb. Oldeborst* Senatoris, & *Anne*, natæ *Matthiessen*, filia, ex qua VII suscepit liberos, quorum tertius nobis memoratum dignus est filius.

Vocatus hic ALBERTUS natus est a. 1576, atque jam senex in collegium tunc XII, hodie XV virorum, & quidem ad dicecesim Petrinam a. 1648 receptus, vivere desit a. 1652. E matrimonio, quod cum *Gertrude, Alb. von der Vechte*, XII viri ad dicecesim, quæ a S. Catharina nomen tulit, & *Anne*, ex generosa & perantiqua gente Brabantina de *Wovern* natæ, filia, contraxerat, VIII emanarunt liberi, e quibus III filii gentem in linea mascula propagarunt.

Quorum princeps JOANNES, filius natu & nomine secundus, A. S. C. 1621 d. 14 Dec. in lucem editus est. Dein ætate provectus, scientiarum bonarumque artium rudimentis in Lyceo, & ab a. 1639 inde in Gymnasio patrio feliciter positus, magnam de se expectationem concitavit, & a. 1641 academiam Rostochiensis petiit, ut ibi juris scientiæ fundamenta jaceret. Pergit in hoc studio Argentorati, ibique quadriennio absoluto, Basileam se contulit, ubi studia academica finiit, & a. 1647 in J. U. L. promotus est. Nunc iter per Galliam Belgiumque fecit, & a. 1648 ad patriam reversus, a. 1652 in inferiori Reipublicæ tribunali præsidis vices egregie gessit. Quum jamjam, quæ justa de Eo fuerat olim expectatio ex Ipsius eruditione, scientiarumque legalium peritia eluceret, carum Eum Patriæ Patres habuere. Quare, quum *Martinus Röver* J. U. L. a. 1657 d. 6 Octob. Secretarii munus una cum vita deposuisset, illud d. 15 Mart. a. 1658 obtinuit. Qua dignitate indutus eodem anno ad *Oliverium Cromwell*, Angliæ Protectorem missus est, ut Reipublicæ negotia ibi expediret. Denique d. XX Jul. a. 1668 ad dignitatem Consularem evectus, feliciter successit *Bartholdo*

VI

Twestreng J. U. L., d. XII Jul. ejusdem anni in horto suo Billwerderensi denato: ipse vero in munere, quo hactenus optime functus erat, successorem habuit Henr. Schröder J. U. L. d. XXVII Jul. electum. Consul nunc JOANNES, cum aliis amplissimi Senatus legatis a. 1672 Rendsburgum se contulit, ut apud *Christianum V. Danicæ Regem potentissimum* res patriæ curaret. Anno 1678, obitu Consulis Nicolai Jarre J. U. L. principatum inter socios consules nactus est. Quo summo honorum fastigio conspicuus a. 1679 iterum, aliis Senatus membris comitibus, ad dictum *Regem*, Pinnebergam contendit, ut rem patriæ tueretur, pacificasque redderet regiones nostras, & studiis suis eventus respondit. Tandem, quum Consulatu per XXIX, Senioratu per XIX annos egregie functus esset, a. 1697 d. 2 Martii, placidè naturæ cedens, mortale exiit, ætatis annos habens LXXVI. Successerunt Ei in consulatu Senator Hieron. Hartvicus Möller J. U. L. d. 10 Mart. in Senatorum ordine Jo. Stuhr J. U. D. d. 17 Mart. e. a. Quis autem quantusque is fuerit Vir, ex negotiis Ejus, quæ temporibus Reipublicæ maxime impeditis, felicissimus expeditis, intelligitur, nec minus ex monumento, quod Ipsi in honorem in æde S. Petri positum est: In cuius epitaphio vocatur: *verus patriæ pater, orthodoxæ religionis assertor constantissimus, prudentia, consilio, rerumque gerendarum dexteritate nulli piorum antecessorum secundus*. Matrimonium magnus Ille contraxit cum *Elisabetha Hieron. Reinstorff & Cecilia*, natæ *Winstmann* filia, a. p. C. n. 1649, quo per XLVIII annos frui Ipsi contigit, atque VII inde descendentes filios, VI vero filias suscepit. Ex V autem filiis, totidemque filiabus, reliqui namque mature jam obierunt, XXXI nepotes & neptes deinceps VIII pronepotes proneptesque amplexus est. Isque generis hodie florentis solus existit promotor.

Etenim ex fratribus Ipsi *penultimus*, nomine *ALBERTUS* n. 1652 II, quidem filios genuit *Albertum* nempe, deinceps sagatæ militiæ Danicæ adscriptum & *Ericum* rei mercatoriæ deditum, quorum vero uterque sine prole mortuus est.

Ultimus autem natu frater *ANDREAS* n. a. 1633 ab a. 1650 inde Gymnasium frequentavit, dein Medicinæ posthac etiam J. U. D. creatus, filium modo unicum genuit a. 1666 *ALBERTUM ANDREAM*, heroem postea sagatarum quippe centurionem, in cohorte equitum desultatoriorum a. 1680 a. 1681 Regis Danicæ, qui ex bino conjugio, altero cum *Cath. Gödel*, nata de *Lützow*, vidua de *Hafelborst* a. 1691 inito, altero a. 1695 cum *Cath. Elis.* nata de *Sidow*, vidua defuncti L. B. de *Schleiniz* contracto, ex prioribus quidem filiam natumque, ex posteriore etiam filium genuit, quorum vero iterum genti propaginem dedit Ipse Centurio a. 1711 Rendsburgi defunctus sepultus est Altenavix, Ille *ANDREAS* autem jam a. 1691 obiit, eodem loco.

Jure igitur JOANNEM Protoconsulem ulterioris propaginis auctorem rem vocamus; quamvis vero Is liberorum dives esset, tamen II tantum filii

fili gentem nomenque propagarunt, *primogenitus* nempe & *natu alter*, reliqui enim aut ineunte aetate vitam reddiderunt, aut ad virilem quidem ascendentes, cœlibes tamen diem supremum obierunt.

Illorum *posterior* JOANNES n. a. 1662, quum *Hannam*, Jo. Gühle & *Annae*, natæ *Burmester*, filiam a. 1668 uxorem duxisset, quæ Ipsi filium unicum & filias V peperit, in locum *Hermanni Stabbe*, d. 23 Maji a. 1703 denati, *Senatorum ordini* d. 30 Maji adscriptus est, meritorumque de patria haud expers, d. 13 Jan. a. 1719 fato concessit. Locum vero Ejus in Senatu obtinuit Jo. Herm. Luis d. 21 Jan. e. a. Unicus autem Ipsius filius JOANNES n. 1689, Ulyssipponæ domicilii forum contraxit, ibique m. Nov. 1756, cœlebs mortuus est.

Prior autem ALBERTUS n. a. 1651 d. 26 Dec. *literarum fundamenta* ab a. 1668 in Gymnasio Patriæ posuit, adultus dein *Themidis castra* sequutus, atque *Caëni* a. 1677 J. U. L. creatus est, a. 1683 autem d. 15 Aug. in locum *Henrici Schrötteringk* J. U. L. *suffectus*, ut *Reipublicæ ab epistolis* esset, a. 1693 *Prænotarii* spectabile munus capeffivit, atque a. 1703 defunctus est. Uxorem habuit *Catharinam*, *Balduini Rulle* & *Annae*, natæ *Garzen*, filiam, atque ex eadem progenit filios III, filias II, quarum *natu minor*, *Anna Catharina*, n. 1686, conjugali sociata est vinculo *Michaeli Richey*, tunc temporis *scholæ*, quæ *Stadæ* *floret*, *Rectori*, ex post autem *historiarum* & *græcæ linguæ* in Gymnasio nostro *professori clarissimo*.

Ex filiis ALBERTI *primogenitus* JOANNES n. 1680 Kal. Oct., inter *cives Gymnasii nostri* receptus est a. 1697, & *jurisprudentiæ* se dicavit. A. 1704 in *judicio aulico Wurtembergensi* *causarum patronus* factus, a. 1705 honore J. U. L. decoratus est, postea vero in patriam *redux*, a. 1716 in *inferiore* ejus *judicio præsidis vices* gessit, atque in *cœlibatu* d. 22 April. a. 1725 fato decessit suo.

Tertius autem filius JOANNES BALDUINUS n. Kal. Sept. a. 1689 rei *mercatoriæ* gratia *Amstelodami* *domicilium* sibi paravit, ibique *Gertrudim*, Jo. Schildt & *Annae Elis.* natæ *Bildt*, filiam uxorem sibi adjunxit, filiumque suscepit unicum JOANNEM ALBERTUM a. 1717 d. 14 Oct. qui *tenera infantia* jam e *vita* discessit. Dein *mortua* quoque uxore, de novo *thalamum* iniit *Hamburgi* cum *Elisabetha Henr. Mello* & *Elis.* natæ *Boete-feur*, filia, ex eaque genuit SUSANNAM MARIAM filiam unicum, quæ nata a. 1728, cœlebs d. 15 Jan. a. 1780 vivere desiit.

Restat ALBERTI II. filius *natu alter*, qui patris nomen gessit. Natus autem est *tertius* hic in *linea recta mascula* ALBERTUS a. Chr. 1681 d. 10 Nov. Is, postquam ex *pueris* excesserat, *vitam litterariam* *mercatoriam* postposuit, atque hac in re *adultus*, ingenio, *sollertia*, *sedulitate*, *solidaque* *commerciorum* *notitia* mox eo pervenit, ut inter *negotiatores nostros* *spectabiliores* locum obtineret. In hac *vita* ratione *subsistens* a. 1710 d. 3 Nov. *matrimo-*

VIII

nio Secun junxit virginem splendidis natalibus oram, mentis corporisque dotibus admodum instructam, *MARIAM CÆCILIAM*, quæ *Joach. Boeteseur*, Senatoris dignissimi, negotiatoris celeberrimi & *Saræ*, natæ *de Pieren*, filia fuit. Ex quo conjugio XI profecti sunt liberi, nimirum

1. *JOANNES PHILIPPUS* n. a. 1712 d. 12 Febr. dem. celebs m. Febr. a. 1769

2. *JOACHIMUS* n. a. 1713 d. 6 Dec. obiit Lisbonæ a. 1739 d. 8 Maj.

3. *MARGARETHA* n. a. 1715 d. 13 Jan., collocata a. 1736 *Joanni Coldorf*, cui quum II peperisset filios *Joachimum Albertum* & *Joannem*, quorum uterque ni in tenera ætate natura cessit, ipsa a. 1756 d. 25 April. mortalitate intercepta est.

4. *ALBERTUS* noster, quem defunctum lugemus.

5. *MARIA CÆCILIA* n. a. 1718 d. 10 Aug. nupta a. 1750 *Cornelio Jac. Berenberg*, sine prole a. 1753 d. 2 Nov. animam Deo reddidit.

6. *JOANNES* n. a. 1720 d. 19 Mart., puellus vitam deposuit d. 23 Jan. a. 1724.

7. *SARA* n. a. 1721 d. 25 Jun. discessit jam e vita a. 1723 d. 3 Mart.

8. *JOANNES FRIDERICUS* n. a. 1723 d. 10 Jul. infans expiravit d. 4 Nov. e. a.

9. *CATHARINA* n. a. 1725 d. 24 Apr. animam efflavit d. 29 Aug. e. a.

10. *JOANNA ELISABETHA* n. a. 1726 Kal. Jul. dein a. 1756 tori confors *Jo. Henr. Wmckler J. U. L.* & dein Senatori gravissimi, tandem improlis a. 1772 Kal. Maji e vita abiit.

11. *SARA CATHARINA* n. a. 1731 d. 6 Mart. in florentissima juventute m. Jul. a. 1748 vitam cum morte commutavit.

Interea *ALBERTUS* ob ingenii dotes & amplam commerciorum peritiam, fidemque inter cives sibi conciliatam, ut quoque ob dexteritatem qua officia quibus functus est, publica explevit, a. 1728 d. 30 Nov. electus est successor Senatoris meritissimi *Danielis Stockfeth*, qui d. 23 Nov. in consulatam dignitatem ascenderat. Ipse nunc Senator *ALBERTUS*, ea quæ Senatorem expectant, munera omni fide laudeque gessit, inque hac dignitate per XVIII. annos meritissimum se præbens, a. 1746 d. 25 Maji naturæ debitum exsolvit, successit vero Ipsi vir dignissimus *Ge. Henr. ricus Büsch* d. 2 Junii e. a.

Ex hisce parentibus, ex hac antiqua gente descendens, tantos aut publicis dignitatibus, aut honoribus academicis, aut utrisque conspicuos, simul de patria bene merentes viros majores vocans noster *ALBERTUS*, nominis serie IV. hanc lucem d. 13 Junii A. S. C. 1716 adspexit. Ut autem illi parentis ex parte generosa stirps fuit, non minus a parte matris. Et honorificum splendidissimumque genus existit. Etenim *Boeteseueriana*, quis est nostratum, qui ignoret gentem, eam, quæ vetustate multas præcellit, paucis cedit, ex qua prodiere viri inter mercatores notissimi, ex qua Senatus ipse socios sibi elegit. At multum sane interest, magnique refert antiqua & nobili prosapia, majoribusque bene meritis satum esse. Facillime enim hæc notitia horumque recordatio ingenium fortemque animum excitat, ut similia facta non solum sed & æqualia & vel majora præstet. Neque hoc defuit incitamentum *ALBERTO* nostro, quæ propter a teneris hanc, non cuivis datam, gentis eminentiam magni habuit, virtutes laudesque majorum exemplo sibi proposuit, vitasque & res præclare

præclare gestas avitas intuitus est. At non intuitus modo, ut sciret, sed ut imitaretur, non ut imitaretur solum, sed etiam exæquaret, atque superaret adeo, si posset. Nec infra propositi terminos stetit, sed ad exitus optatos pervectus, metam, multis difficultatibus obstructam, adigit. Itaque, provide & sapienter educatus, confestim, quæ ab Eo possent expectari, commonstravit, atque ipsa majorem SE præbuit expectatione. Ut autem firmâ scientiarum fundamenta poneret, privatis primum institutionibus usus, in *Joannei* alumnis admodum adolescentulis adscriptus est. Interfuit autem pluribus, ideoque vel *inferioribus* hujus *Lycei classibus*, doctrinisque virorum, qui tunc illis laude præerant, imbutus est. Tandem ad *primam* ascendit, qua *Joannem Hübner*, ejusque successorem *Joannem Samuelem Müller*, Rētores scholæ clarissimos, cum Conrectore cēleberrimo *Neudorf* præceptores coluit; quorum quum instructionibus per aliquot annos fructus esset, Lyceo a 1734 valedixit. Quò facto *Gymnasium* patrium petiit, atque eodem anno d. XX Maji tenramini se sistens, cui ex assē satis fecit, a *Jo. Chr. Wolf*, Physices & Poeseos Professore, eo anno *Rectore*, in numerum civium *Gymnasii* rite relatus est. Elegit autem SIBI illud studiorum genus, ex quo plurimos fere majorum suorum honores consequutos esse noverat, jurium nimirum scientiam, & fausto elegit omine. Ingenium enim EI fuit capacissimum, memoria tenacissima, judicii vis haud exigua, mens intrepida, justique amans, & quæ reliquæ sunt mentis dotes, quæ ad solidam jurium cognitionem deinceps felicem exercitationem & interpretationem faciunt. Dum in his scholis, quas omni fidē, cura, diligentiaque frequentavit, NOSTER commoraretur, rara utilique pariter ac dulci sorte gavissus est, ut ex Professoribus unum & præceptorem & adgnatum simul haberet. Fuit is *Michael Richey*, vir eruditione, ingenii acumine, scriptis celeberrimus, fama immortalis, quem NOSTER, paternæ sororis quippe maritum, patrum veneratus est. Itaque hujus prælectionibus potissimum, ut corpore, sic et mente, sedulus interfuit, attamen non ita huic doctori inhæsit, ut reliquos negligeret, potius EUM et hi fama celeberrimi, *Wolf*, *Evcrs*, *Dornemann*, præprimis autem *Fabricius* & *Reimarus* in publicis non minus ac privatis commilitiis auditorem exoptatissimum conspexerunt & amaverunt. Siquidem NOSTRUM cognoverunt eum, qui disciplinas non a limine modo salutaret, sed qui interiora earum intraret, & ad ipsa adyta penetrans, cognitos eruditionis thesauros, in rem suam converteret.

Triennium JUVENIS NOSTER in *Gymnasio* consumsit; antequam vero ab eo discederet, publice disseruit: *de Connoburgo Smeldingorum in Hamburgo veteri perperam invento*; hocque eruditionis SUÆ specimen præsentante *Michaele Richey*, contra adgressus secus opinantium in auditorio publico masculè ruitus est: in quo conscribendo pariter ac defendendo cognitionem antiquitatum & veteris ævi historicam haud exiguam prodidit.

Positis ita firmis scientiarum fundamentis a. 1737 *Lipsiam* SE contulit, ut in hoc musarum contubernio, doctrinis animum ultra, quam apud nos posset, excoleret. Ibi scholis *Mascovii, Pétermanni, Hommelii, Jöcheri, Crameri*, aliorumque illustrium doctorum; omni ac potuit, sedulitate fideque usus est. Elapso, quod musis Lipsiæ ALBERTUS dicaverat triennio, ad honores academicos consequendos SE SE adcinxit, præstitisque, quæ præstanda erant, dissertationem inauguralem: *de jure fisci in hereditates privatorum*, scripsit. Quam gravitate materiei insignem, d. XXV Aug. a. 1740 publice defendit; hisque feliciter peractis; summo in juribus honore, nimirum DOCTORIS UTRIVSQUE JURIS gradu, condecoratus est. Eodem anno per Germaniam, Belgium, Galliamque fecit iter, nec exiles inde SIBI fructus, ad omnia quippe, quæ ad attentione eruditi digna sunt, animum advertens; collegit. Anno 1741 m. Sept. DOCTOR noster peregrinationis SUÆ finem fecit, & Hamburgum rediit; quo pro J. U. LICENTIATO SE gerens; nunc partes solidi jurisconsulti bene suscepit, feliciter gessit.

Neque vero ILLIUS ingenii dotes, & ampla variarum, communium peregrinarum, domesticarum, earumque, quas Respublica propria auctoritate suas vocat, legum peritia; nostratibus ignotæ diu mansere; potius viam EI struxerunt; ut a. 1742 *tribunalis patriæ inferioris* membris adjungeretur. Sequenti autem anno *Præsidis* vices juste, recte, graviter gessit; munusque cum honore deposuit. Cujus officii administratione jurium, institutorum, rerumque patriæ cognitionem ita probavit; ut a civibus in conventu d. IX Nov. a. 1752 habito, una cum aliis juris peritoribus eligeretur, qui communicatis cum Senatu amplissimo consiliis, novam in bancruptores sanctionem cõderent, quæ etiam a. 1753 promulgata est.

Ut nunc laboribus IPSIUS & stipendiis, quæ in amplis Themidos castris bene meritis erat, præmium insigne & quasi corona publica auctoritate adponeretur, & honestum & æquum justumque Patriæ Patres existimarunt. Nec defuit occasio, quum a. 1753 d. XXVIII Jan. vir consultissimus *Joannes Dietericus Lochau J. U. D.* Senatoris dignitate; moriens, se abdicaret. Quo facto, e summo providentiæ divinæ decreto ALBERTUS noster eam sortem d. III Febr. nactus est, qua in ordinem SENATORUM reciperetur. Qua dignitate donatus, ardorem in veram patriæ salutem; quæ modo posset, vertendi; eamque omni, qua polleret, via promovendi; fervidissimum non deprestit, sed magis magisque aluit & commonstravit. Itaque cuncta, quæ Senatorem respiciunt officia publica, quæ agenda, dirigenda, tuenda, servanda erant; & quorum ratio habéatur, quorum cura agatur necesse est, hæc libenter in SE suscepit, & fortiter fecit, & honeste gessit explevitque.

Prima vero, quæ SENATORI Nostro obviam iverunt munera annis 1754 ad 1758 tenuis effecit; in quibus *alveorum*, quæ urbem pererrant, conservandorum, dein *platearum*, tum & ipsius *Albis*, quoad ejus cura in Senatores juniores cadit, nec minus *munimentorum* urbis, ut quoque *rei tormentariae*, aliarumque rationem habuit.

Jam ex ordinis lege a 1759 gravissimum & permolestum *Prætoris* munus in EUM devolutum est. Quo magistratu ad a. 1761 functus est, simulque Præsidis officium in iudicio inferiori, aliasque cum Prætura junctas præfecturas egit. Quamdiu autem in Sella curuli conspiciebatur, alacrem, solertem, vigilem, providum justitiæ vindicem SE præbuit. Sequentibus autem annis ex parte ad ærarium mercatorum publicum, quod *bancam* vocant; delegari coluit officium; ex parte, ut moris est, a publicis immunis fuit officiis:

Anno 1766 provincia Ritzebüttelensis, quum ejus Præfectus *Joannes Schlüter* J. U. L. & Senator meritissimus, vigore legis, sexennio quippe superato, ad urbem rediret, SENATOREM Nostrum, ut præturam susciperet, expectavit. At suavissima Eius conjux ultimo tunc morbo adficiebatur, neque, ut eum superaret, Deo placuit; quare acerbissimo hoc fato maximè adflētus SENATOR Noster, huic præfecturæ renunciāns, in provinciam illam non abiit, neque aliud munus nisi *ædilitatem* gessit, quam ad annum 1768 feliciter administravit.

Anno 1767 eoque qui sequitur, provinciis, quas *Albis* & *Bille* fluvii terminant, & quæ *Bille* & *Ochsenwerder* audiunt, ut *Prætor senior* præfuit. A. 1768 & sequente *decimarum* curam tanquam *Præses senior* egit.

Ab a. 1769 ad 1774 usque *politice rei que silvestris magistratum*, in utroque *Senior* gessit, quem etiam ut reliqua munera, quæ ab a. 1767 ad 1774 explevit, inter quæ *prætura militiæ civiæ & mercenariæ, cura judicii collegiorum opificum, rei frumentariæ*, unâ cum *tributo vinario*, de aliis ut taceam, nominari merentur, omni fidē atque honore effecit.

Ab a. 1775 ad 1778 usque Respublica SENATOREM nostrum ad *præfecturæ Bergedorfianæ tribunal delegatum*, EUM *Proprætorem seniore in villis Hamm & Horn*, *Senioremque rei molaris Præsidentem*, EUM *Prætorem bellicum militiæ togatæ sagatæque*, EUM *Adfessorem in iudicio navali*, quod *Admiralitatis* nomine insignitur, aliorumque institutorum patriorum *Præfectum adtentum*, solertem, fortissimum cognovit.

Simul his IV annis inter Seniores Senatorii ordinis constitutus ALBERTUS noster, *Gymnasti Lyceique* Republicæ *Curator* fuit vigilantissimus. Neque circa hæc publica & gravissima, siquidem spem patriæ floremque juventutis concernunt, instituta, meritorum expertus fuit, atque majora esset adsequutus, ni nova EUM dignitas avocasset.

Ex summo enim Sapientiæ divinæ jussu Vir magnificus olim, JOANNES SCHLÜTER, J. U. L. & Consul de patria optime meritus, d. IV Sept. a. 1778. quieta morte functus est. Quo fato Senator Noster CONSULAREM DIGNITATEM die XI Sept. adplaudentibus bonis omnibus nactus est; fascibusque susceptis, in ordine Senatorio Virum illustrem & consultissimum GEORGIUM ANCKELMANN J. U. L. dignissimum salutavit successorem.

Jam CONSUL ALBERTUS Noster, omne, quod Consuli publicum assignatur, munus in SE suscepit, uti temporis ordo, rerumque series postulat.

XII

layit: Sic enim ab a^o 1779 ad 1784 usque *judicio tam tribuum collegiorum-que opificum*, quam dein *Admiralitat*, cum Sociis magnificis *NICOLAUS SCHUBACK J. U. L. & VINCENTIO RUMPF J. U. D.* viris magni nominis, Consulibus merentissimis alternis annis praefuit. Nec minus *Patronum ecclesiae S. Nicolai*, cui haecenus tanquam *Senator diocesanus* favit, tum & *ptochotrophii, ergastuli levioris & gravioris, nosocomii S. Georgio* dicati, *caenobii S. Joanni* utrique consecrati, *xenodochiorum & nosodochii S. Jobi*, SE praebuit vigilantissimum strenuumque. Simul quoque curam *rei monetariae, pharmacoopolii & oenopolii publici* egit. Atque vero in rebus publicis quum SE alacrem egregiumque praerberet, justitiae pariter, administratorem tam in curia, quam in aede SUA sagacissimum, aequissimum & a partium studio remotissimum, pariter quoque Consulem gravissimum, salutis Reipublicae studiosissimum, simulque civem, ut dignitate potiore sic & amore in patriam insigniorem SE commonstravit.

Sic in fastigio dignitatum, quas Respublica nostra bene merentibus tribuit, constitutus CONSUL Noster, illo tantum *primatu*, quem magnifici consulum ordinis *Senioratus* denotat, modo caruit. Sed ILLE tantus abfuit, ut hujus summi honorum apicis compotem SE optaret, ut potius *illi*, qui tunc Senior erat, *cujus* nunc cineres omnes venerantur boni, nullaque laudes meritissimas edunt obliviam, ulteriora, ad remotissimum usque *vici* stadia adprecaretur. Sed aliter visum est Deo, atque vel in hoc supremum dignitatum cacumen efferri EUM voluit.

Quum igitur Vir magnificus atque perillustis, potestate consulari & primatu inter Consules decoratus senex, *NICOLAUS SCHUBACK J. U. L.* a. 1783 d. XXIX Jul. mortale, quod Ipsi erat, exuisset, atque inter caelites receptus esset, CONSULI Nostro SENIORATUS eminentia jure & ordine cessit. Quamvis nunc IPSE senectuti adpropinquaret, tamen functionibus, a quibus vel Senior Consul immunis non est, neque liberari cupivit, neque levi brachio eas agere voluit. Itaque non solum eorum collegiorum, quae pia corpora dicuntur, & quorum Patronus existit, modo nosocomium S. Georgii suburbanum exceperis, curam continuavit, sed novorum quoque, nimirum *ediculae S. Gertrudis, orphanotrophii & istius diversorii*, quod *conventus* nomine venit, in SE suscepit & egit. Dein, mutato domicilio, ecclesia *St. Petri* EUM Patronum salutavit, Quo haecenus ecclesia *S. Nicolai* gavisa erat. Tandem & novam, Senioratui semper junctam obtinuit dignitatem, nimirum *Summi rei militaris Praefecti munus*, quod ut reliqua optime gessit.

In summo nunc civicorum & militarium dignitatum cacumine conspicuo CONSULI, nostra non habuit Respublica, honoris quidquam adderet. Sed qua Respublica destituebatur facultate, merita EJUS multigena praemiis decorandi, haec summo, quod adoramus, Numini non deerat, atque Id jamjam laboribus, virtutibus meritisque CONSULIS nostri premia Sed solvere condigna parabat.

Sed antequam de CONSULIS *decessu* dicatur, restat ut de *privata* quoque IPSIUS *vita*, quum *publicam* modo recensuimus præcipua, restat, ut de *moribus, animi corporisque indole* quædam tradantur.

Quum splendidissimis natalibus ortus ALBERTUS noster, ipsa gente pluribus, aliis spectabilioribus & antiquitate & fama clarioribus, conjunctus esset, fieri non potuit, quin IPSE & adolescens & juvenis inter primates Reipublicæ, easque familias, quarum capita in Senatu erant, frequens cerneretur.

Has quoque ut alias consuetudines decoras, post reditum in urbem denuo petiit & frequentavit. Triginta vero annos jam expleverat *Beatus* Noster, priusquam de contrahendo cogitaret matrimonio. Sed nunc & virilis ætas & gentis honos, ut illam iniret societatem, suafere. Fuit autem inter tot amplas honestasque familias, totque inter generosas virgines, princeps, cujus gratiæ & suavitates mentem IPSIUS occuparunt MARGARETHA MARIA, Consulis olim merentissimi JOANNIS HERMANNI LUIS & CATHARINÆ MARIE, natæ CRONENBURG, filia tertia, virgo splendidissima & antiqua profapia, nec minus præclaris animi donis corporisque venustate insignis. Quæ, quum a. 1748 illi collocata erat, a. 1749 primi puerperii subiit pericula, quod ea feliciter superans quaternis dein vicibus recoluit. Descenderunt itaque ex hoc conjugio liberorum V. nimirum

- I. CATHARINA MARIA, n. a. 1749. d. 16 Febr. posthac a. 1772 nupta est *Jacobo Köpke*, viro inter negociatores nostros spectatissimo, cui liberorum par edidit, nempe filiam *Louise* n. a. 1774 d. 7 April, filiumque *Carolum* n. a. 1776 d. 2 Dec. Sed ipsa mater, virente adhuc ætate, d. 26 Mart. 1784. in vivis esse desit.
- II. MARIA THERESIA, n. a. 1750. d. 20 Febr. quæ vero mentis dotibus, & faciei corporisque venustate nulli cedens virgo, ætate, quam agebat florentissimam d. 24 Nov. 1776. jam e vita exiit.
- III. JOANNES, n. a. 1751. d. 27 Mart. qui adultus, frequentatis per triennium Gymnasii nostri scholis, Lipsiam, deinceps Göttingam petiit atque in posteriori academia habita dissertatione inaugurali, *de exheredatione bona mente facta*, J. U. D. gradu decoratus in patriam reversus est. Cui tandem loco Viri magnifici & consultissimi NICOLAI MATSEN, J. U. D. ad *crudiciam* evecti, Secretarii Reipublicæ munus, est mandatum. Ipse vero a. 1780. d. 11 Apr. SARAM CATHARINAM, Viri magnifici JOANNIS LUIS, Consulis de patria optime meriti & AGATHÆ, natæ BECKHOFF, primogenitam, tori sociam sibi jünxit. Ex quo prodierunt.
 1. *Agatha Margaretha*, n. a. 1780 d. 30 Dec.
 2. *Maria Theresia*, n. a. 1782 d. 27 Mart.
 3. *Elisabetha Johanna*, n. a. 1783 d. 2 Mart. denata jam d. 5 Mart. a. 1784.
 4. *Albertina*, n. a. 1785. d. 10 Mart.
 5. *Wilhelmina*, n. d. 10 Febr. h. a.
- IV. ALBERTUS, n. a. 1753. d. 9. Jan. anno autem sequenti d. 30. Oct. jam inter cœlites receptus.
- V. JOHANNA MARGARETHA, n. a. 1765. d. 27 Mart. quam post obitum Patris eodem anno Vir celeberrimus *Carsten Albrecht Schrödter* M. D. experientissimus uxorem duxit.

Hac ex prole CONSUL Noster voluptates sane non leves percepit, imprimis autem ex eo, quo spes unica gentis, nominisque honos ejusque sola

XIV

propago nitebatur. Hunc enim, in quo ab ineunte ætate gratia jam magna fuit, & adolescentem spem indies majorem de se excitantem, & adultum, eum fore cognovit, qui majoribus similem se præberet. Ut vero jucundis acerbam mixta solent esse, has quoque fatorem vicissitudines CONSUL noster sensit. Attamen res IPSIUS summa, quæ cuncta regit miscetque hominum fata sapientissime, Providentia ita curavit, ut atros semper candidi rursus exciperent dies. Summa tamen, qua inter ceteros, ex maturo *filioli, duarum filiarum, neptisque* obitu profectos dolores, affici poterat jactura, affligebatur VIR, quum *conjux* suavissima in gravissimum salutis vitæque discrimen incideret, omnibusque salutaris scientiæ consiliis exhaustis, virenti adhuc ætate, a. 1766. naturæ debitum persolveret. Quo peracerbo fato CONSUL noster ad amaras vidui solitudines redactus, nunquam ex iis ad secunda vota transit.

Dein IPSE a. 1771 gravissimo tentatus est morbo, quo ita urgebatur, ut ad ipsa mortis limina pervenisse videretur. At nondum, Reipublicæ Suisque valediceret, Deo placuit, hinc vitæ summis e periculis emerfus, ad secundam valetudinem rediit, qua etiam ad ultimum vitæ stadium inconcussa Ipsi frui licuit.

Gaudebat CONSUL noster *mentis dotibus* eximiis, intellectu nimirum amplo, & ad difficiliora & vel maxime confusa perscrutandum parato. Vis judicii eximia præsertim & olim, dum causas defenderet, & dein, quum jus diceret, emicabat. Ingenio capacissimo felicissimoque ornatus erat, eo, quod ad res gravissimi momenti & altioris indaginis expediendas requiretur, eo, cui nulla res ardua sic visa est, quam adgredi & superare non auderet. Animum IPSI magnum fortemque infuisse, nemo infitias ibit, cui versari cum Eo tam felici esse contigit. Nam ut eminens est animus, qui dignitatis suæ justus æstimator, ad humiles, dejectas, indecoras actiones non fertur, ideoque de injuriis sibi illatis non cogitat ulciscendis; atque fortis adpellatur mens, quæ infortuniis nec futuris expavescit, nec præsentibus pessumdari se patitur, audentior contra ire solet: utrumque merito ILLI tribuimus. Adde his naturæ dotibus eam mentis celsitudinem, quæ virium suarum sibi conscia, inter quotidiana consuetaque versari detrectat, ad ardua vero & altiora tendit. Adde hanc pulcherrimum omnium indolem, quæ virtutem non solum publicam externamve, verum etiam internam novit amatque, atque adeo præstat & alit & promovet, quæ vera est animi nobilitas. Accessere huic insigni CONSULIS nostri animo ingens scientiarum variarum adparatus, artium liberalium elegantiorumque haud levis cognitio, linguarum & veteris ævi & hodiernorum populorum insignis peritia. Accessit curatissima jurium tam Reipublicæ propriorum, quam patriorum Germaniæ, quam communium in subsidium receptorum, naturaliumque scientia; accessit felicissimus varias hasce leges ad casus substratos adplicandi habitus, insignisque eas interpretandi facultas. Amplius huic

huic eruditioni jungebat ILLE vastam rerum & institutorum Reipublicæ notitiam, ardoremque; nova quando IPSI occurrebant, penitus ea perspicendi candidissimum. Insuper difficillimam istam, quæ ad obtinendos fines propositos, ad conciliandos sibi animos & consuetudines, ad difficiliora feliciter expedienda & ad res publicas fortiter gerendas egregie facit, artem, aliorum mentes cognoscendi & explorandi, ex usu longaque experientia & immota adtentione SIBI comparaverat. Hac autem instructus pectora penetrabat aliorum, atque in cognoscendis & judicandis illis eorumque actionibus rarissime errabat, & ab homine quæ præstari, quæ expectari possent, facile intelligebat. Tandem his præcipuis animi facultatibus, mancipatisque SIBI virtutibus, aderat haud fucatus patriæ amor, neque unquam mediocris assiduitas, quæcunque ad securitatem publicam privatamque, ad commoditatem vitæ, ad dignitatem, splendorem, opulentiamque patriæ facerent, hæc omni fide & prudentia in Reipublicæ salutem, dirigendi, parandi & adferendi.

Tot animi donis, CIVES, tot tantisque viribus VIRUM Nostrum exornaverat divina, quem ad summas in Republica dignitates evehendum constituerat, Providentia! Quum ætatem juvenilem laboresque privatos cum virili publicisque commutaret, quæ ab Eo possent expectari mox illuxit. Nec spes fefellit, nec eventus aliter se habuit ac initium. Ut enim quemvis decet, qui provinciæ præest, ut, quoad possit, eam bene administret, ita de CONSULE nostro recte potest affirmari, semper talem SE præbuisse, qualis expectaretur. Hanc autem PIE DEFUNCTUS Noster SIBI constituerat legem, quam nec unquam transgressus est, ut in munere quocunque gerendo is tantusque non modo videretur, qui quantusque expectaretur, sed & esset. Quare munus in IPSUM devolutum priusquam capefferet, unde quaque investigavit atque illius secretiora exploravit, donec, quæ in SE caderent, quæve exercenda essent, quæ jura SIBI exinde nascerentur, quæ simul præstandæ obligationes a SE, cognovisset. In hoc autem perscrutando nunquam lassum levemque SE præbuit, quod IPSI magno laudi ducitur. Susceptis autem muniis totum SE dedit, illaque ab omni parte ad normas legis & sanæ rationis regulasque justitiæ & salutis patriæ effecit. Itaque non fuit provincia, neque magistratus, neque huic adhærens prætura aut præsidatus, quin cum honore gloriaque gessisset & depofuisset.

A pueris alacris in agendo & senex sic conspiciebatur. Hinc Senectuti adpropinquans, molestias, ejus ætatis comites, parvi habuit, licet ab iis immunis haud fuerit. Sicque venerabilis Senex eodem vigore res gessit, quo solitus erat juvenis. Justitiam IPSE amans prudenter & fortiter exercuit, & optime hanc mentis IPSIUS conditionem describit moneta, EJUS memoria consecrata, cujus inscriptio Symbolum IPSI fuit. Amicitias semel contractas haud facile dissolvebat, nisi sufficientes adesset rationes, sed colebat

XVI

potius firmabatque. Atque ut vitam socialem nunquam in odio habuit, ita societates honestasque consuetudines libenter iniit, atque in iis vegetus, facilis & jucundus, sive hospitem sive convivam SE præberet, adparebat. In conversatione comis & gratus plerumque, sed, si res postularet, severus gravisque conspiciebatur. Conjugi deditissimus gratissimusque maritus, proli acceptissimus benevolusque pater, fautor & amicus adtentissimus fuit, animumque in ejus veram salutem, quæcunque posset dirigendi, semper paratum, assiduum, maximeque occupatum habuit. Opem auxiliumque implorantibus facilis erat, nunquam iis plus ac præstare posset, promittens. Cura SUA quem dignum censeret, omni, qua potuit modo succurrebat, fidemque, si cui unquam dederat, inconcussam servans, præstabat.

Is erat, CIVES, CUJUS vitam magnorum feliciterque gestorum ferient haud interruptam, honestam, actuosam, frugiferam ideoque caram, & longissimam pleno jure adpellare possumus. Haud enim ingens superatorum annorum numerus vitæ longitudinem, sed actorem multorum recteque gestorum copia facit.

Quod *externam* Consulis faciem adtinet, procera corporis erat forma, quam neque macies neque pinguedo comitabatur. Vultum gerebat plerumque severum, comitate tamen aliqua mixtum, mensque, magna secum volutans, IPSI in fronte quasi residebat. Sed quid VIRI describo imaginem, quæ in pectore menteque omnis boni hæret? Sufficiant ergo hæc! Et sufficient ut cognoscatur, quantam Respublica senserit jacturam, quum hunc VIRUM e medio evocaret fatum.

At enim vero in *ultimo* vitæ gloriosæ *studio* eximium SE præbuit. Quamvis enim senectutem a limine salutans, a molestiis ejus non vacaret, tamen in organis sensoriis nullum aut per exiguum modo sentiebat defectum, neque sensationibus internis noxias mutationes. Contra enim præclaræ mentis dores, ad unam omnes haud diminutæ, ad extremum vitæ halitum apud EUM commorabantur. Quare VIRUM nostrum longius, ac solent plurimi, ætate processurum existimavimus. Licet enim a. 1785 morbo haud levi implicaretur, paucis tamen post diebus ex eo restitutus, negotia, quæ antea gessit, cuncta, sueto fervore solitraque dexteritate expediebat.

Sed perexiguum erat tempus, neque vix annus, in quo MAGNIFICUS, quis quantusque sit, Republicæ probare poterat. Etenim prope *anni 1785 exitum*, & quidem *vesperante die XXIX Decembris*, alius, & superato illo infestior corpus IPSIUS invasit morbus, atque, dolores secum ducens atrocissimos, vitæ maximum non minari solum, sed parare quoque periculum videbatur: *Internas enim corporis regiones inflammatio*, ut loquuntur medici, occupavit. At licet gravissimus hic in corpus sæviret morbus, excellentiam tamen CONSULIS mentem turbare non potuit. Quid? quod comperisset VIR, ad triarios jam pervenisse rem, atque morbo resisti non posse infestissimo, tamen animum non deposuit; atque inter periculosissimos conatus ad arcendum interitum & crudelissimis in doloribus, robur animi; mentisque miranda celsitudo VIRI MAGNIFICI quam maxime emicuit. At in acri hoc, dum de vita ageretur, certamine, neque illo destituebatur auxilio, quod vera Philosophia præstat, nec summo isto solamine, præstantiorique ope, quam nostra fides adfert sanctissima. Hujus enim doctrinis, puerulus jam, imbutus erat, easque nunquam parvi pendebat. Quapropter adcelerantem mortem non timuit, sed ad ultimum vitæ halitum eximius, terrenas relinquens æternæ salutis regiones petiit *cum prima luce diei III Januarii a. 1786*.

Sic occubuit VIR, quem *prosapia, vita, morte* MAGNUM cognovimus. Sic cecidit, at gloriosus, ut victor olim in resurrectionis die, sempiternis incederet

deret laureis cinctus. AETAS, quam egit, annos habet LXIX, *mensēs VI diesque XXI*. CONJUX fuit per XVIII, WIDUUS per XX annos. SENATOR vixit annos XXV. CONSUL VIII. SENIOR III. Perbreve sic spatium degit; annos si computamus, si facta vero, laboresque actos, perlongum. Neque tamen longum satis *Reipublicæ*, quis enim patriæ verus amans; TANTO non seculum adprecarus esset VIRO. Perbreve autem *soboli*, quæ PATREM benignissimum, AVUM tenerrimo cordis affectu conspicuum; ad torum, quod ipsi vitæ dabitur spatium, ereptum luget. O! si votis eorum, si civium, rationes, ad quas Deus fata regit humana, respondissent; si obitum arcere nostra valuissent; sane hoc die, multisque lustris inter vivos esset DEFUNCTUS PATRIÆ PARENS. Sed quod nostris erat in votis, ut diutius ILLE apud nos commoraretur, Deo non placuit, contra enim, ut evocaretur NOSTER e Republica, meritorumque præmiis frui inciperet, decreverat, & moesto vultu silemus. Dolemus itaque jacturam, quam Respublica maximam luget, dolemus cladem, quam proles, quam cognati adgnatique spectatissimi acerbam plangunt.

At dum dolemus, CIVES, simul pro salute HUIUS FAMILIÆ totiusque GENTIS prosperrima fundamus vota, Etque, ut ad seros, immo terræ dies ultimos protendatur, atque ulteriore majoribus dignissima progenie haud destituatur, votis optemus. Neque possum, quum FILIÆ superstite cum MARITO clarissimo, maxime secundam omnibusque numeris absolutam fortunam & uberrima conjugii gaudia ex animo adprecor; quin pro FILIO præsertim, unico totius meritissimi *Schultiani* nominis superstite, siquidem amicitia, quæ cum Eo mihi per III & quod excurrit lustra sincerissima intercessit, urgeor, vota, quæ non a summis labris veniunt, nuncupem. Nec dubito, CIVES, fore ullum ex VOBIS, nostis enim EUM, qui SUA meis conjungere detrectet vota, ut Deus IPSI corporis animique vires benignissime servet, corroboret, augeat, ut vitam EJUS ad remotissimos hominis annos perducat; ut GONJUGEM suavissimam incolumem florentemque, citra nuptialia, quæ aureorum nomine denotantur, PROLEMque dulcissimam clementissimus ILLI conservet, novaque matrimonii gaudia IPSI paret. Nec minus precemur, ut studiis quibuscunque IPSIUS in patriæ salutem directis Deus felicissimos respondere jubeat eventus, lætissimamque IPSI præbeat regionem, quæ multis atque insignibus inclarescere meritis, partam gentis gloriam tueri, qua patris, avi, proavi, atavi, reliquorumque majorum trophæis nova addere possit, sicque in hoc clarissimorum virorum ordine, *serie* tanquam *minimus, meritis maximus* cognoscatur.

Sed dum dolore propter obitum CONSULIS nostri adficimur, nec gaudia, quæ pectus nostrum penetrant, gratamque in Deum mentem celare possumus, CIVES, quod cladem, quam ex ISTIUS VIRI decessu perpessi sumus, benignissimus refarciverit. Eo enim dirigente, VIR ILLUSTRISSIMUS, MAGNIFICUS & CONSULTISSIMUS JOANNES ADOLPHUS POPPE, J. U. L. d. XI Januarii ex *senatorum* ordine ad *consularem* evectus est dignitatem. Plausit de hac sorte Urbs, plausit tota ejus ditio, adplausit adcola & apud nos commorans peregrinus novo Consuli. Ut autem de fascibus EI adlatis, ex imo cordis adfectu IPSI gratulamur, simul exoptatissimam EI corporis valetudinem, firmissimumque mentis robur adprecamur. Adjungat Deus benignissimus meritis EJUS nova trophæa, adspiret studiis, laboribus, consiliisque IPSIUS benevolentissime, servet EI vitam ad maxime longinquos, homini quos adtingere licet, vitæ terminos, atque ex PROLE Sua optimas quasque delicias, lectissimasque gratias IPSI parari jubeat.

Quum sic de NOVO CONSULE gloriamur læti, & ad EUM oculos spectamus, CIVES, nos decet, qui in ordine *senatorio* ILLI successit. Namque

XVIII

que haud exiguam nata fortem est Respublica, quum inter Proceres suos Virum illustrem atque consultissimum *GUILIELMUM AMSINCK, J.U.L.* d. XVIII Jan. constitutum conspexit. VIRUM ætate florentissimum, morum probitate, decore, elegantia insignem, simul patriæ amatorem ardentissimum. VIRUM, de cujus eruditione, virtutibus, dexteritate, mentisque dotibus eximiis multus esse possem, ni vetus ipsa, quam cum Eo, tenera ab adolescentia, jam ante IV, & quod excurrit, lustra habui, necessitudo, silentium imponeret. Lætetur, CIVES, novo *Senatore*, quo gloriatur fama pariter ac antiquitate inter nostrates inclyta gens *IPSIUS*, quo ipse ex animo lætor. Pro omnigena Eius salute, CIVES, pro felicissimo conaminum laborumque in nostram salutem vergentium successu, pro diutina *IPSIUS* vita, pro *CONJUGE* præstantissima, pro *SOBOLE* tenerrima, pro *MATRE* optima *CONSANGUINEISQUE* *ILLIUS* sincerissima ad Deum benignissimum vota concipiamus.

Ita, quam obitu *CONSULIS SENIORIS PIE DEFUNCTI* fecit Patria jacturam, optime, CIVES, divinæ providentiæ consilio restauratam cognovimus. Jam nostrum est, virtutes & merita *DENATI CONSULIS* pia recolamus mente. Pie memoriam Eius veneretur posteritas, intueatur magni *VIRI* gesta, *IPSIUS* virtutes imitetur, atque *ILLIUS* reminiscens complures patriæ cultores proferat amantissimos, fervidissimos. Faxit Deus, ut patriæ salus indies crescat, firmetur, augeatur; faxit, ut Respublica tantam in longum tempus non accipiat cladem; faxit, ut ea nunquam destituatur viris, qui scientiis, ingenio, dexteritate, prudentia, fortitudine, meritis æquiparent, & si possunt, adeo superent *ALBERTUM SCHULTE*, Curam pia pronaque mente musæ ponunt, Cujus nomen historia Republicæ servat, ne unquam memoriæ nostræ posterorumque deficiat

MONUMENTUM

VIRTUTIBUS MERITIS GLORIÆ

ALBERTI SCHULTE

CONSULIS SENIORIS

REIPUBLICÆ HAMBURGENSIS

VIRI MAGNI DE PATRIA MERITISSIMI

SACRUM.

